

Isidorus de viris illustribus cap. 9. Primasius, inquit, Africanus episcopus composuit sermone scholastico de hæresibus tres libros directos ad Fortunatum episcopum, explicans in eis quod olim B. Augustinus in libro Hæreseon imperfectum morte interveniente reliquerat. Nempè alteram operis partem, ad ostendendum quid hæreticum faciat, pollicetur Augustinus in præfationis fine, quam partem morte præventus non adtigit.

DE EODEM LIBRO
EPISTOLÆ QUATUOR.

Domino meritò venerabili, & verè beatissimo Patri Augustino episcopo,

QUODVULTDEUS DIACONUS.

Epistola
CXXI. tom.
2.

I. **DIU** trepidus fui, & ausus hos meas aliquoties distuli: sed me principaliter, ut dici assolet, animavit beatitudinis tuæ benevolentia omnibus comprobata: quam dùm considero, magis timui, ne non petendo superbus, non quærendo desidiosus, non pulsando piger à Domino judicaret. Sufficere autem mihi crederem huiusmodi tantummodo voluntatem, si fructum adipisci non possem: cum autem pro certo noverim, ostium divini sermonis, quod venerationi tuæ cælestis gratia patefecit, paratam esse mentem tuam sanctam, quam possidet Christus, non solum cunctis volentibus pandere,

re, verum etiam nolentibus, ut introire non pigeat, persuadere; occupationi reverentiæ tuæ multiloquio superfluo moram non faciam, sed desiderium obsecrationis meæ breviter indicabo.

2. Nonnullos in clero hujusce etiam amplissimæ civitatis esse imperitos, ex me ipso conjicio; & quantum universo illi ordini profuturum sit quod expeto, considerationi sanctitatis tuæ discutiendum offero. Privilegio namque cunctorum, qui hoc de spiritualibus tuis laboribus promerentur, etiam me indignum consecuturum esse præsumo, Domine meritò venerabilis, & verè beatissime Pater. Precor igitur beatitudinem tuam, ut ex quo christiana Religio hæreditatis promissæ nomen accepit, quæ hæreses fuerint, sint; quos errores intulerint, inferant; quid adversus catholicam Ecclesiam senserint, sentiant, de Fide, de Trinitate, de Baptismo, de Pœnitentia, de Homine Christo, de Deo Christo, de Resurrectione, de Novo & Vetere Testamento, & omnia omnino, quibus à veritate dissentiant: quæ etiam baptismum habeant, quæve non habeant, & post quas baptizet, nec tamen rebaptizet Ecclesia; qualiter suscipiat venientes, & quid singulis lege, auctoritate, atque ratione respondeat, digneris exponere.

3. Nec me tantæ beatitudo tua credat ineptiæ, ut non inspiciam quantis & quam ingentibus voluminibus opus sit, ut possint ista dissolvi. Verum hoc ego fieri non expeto; id enim multipliciter factum esse non dubito: sed breviter, perstrictè, atque summam, & opiniones rogo cujuslibet hæresis exponi, & quid contra teneat Ecclesia ca-

tholica, quantum instructioni satis est, subdi: ut velut quodam ex omnibus concepto commonitorio, si quis aliquam objectionem aut convictionem uberius, plenius, ac planius nosse voluerit, ad opulenta & magnifica volumina transmittatur, quibus à diversis, & præcipuè à veneratione tua in hoc ipsum constat elaboratum. Sufficiet enim admonitio talis, ut puto, doctis & imperitis, otiosis & occupatis, & ad cuiuslibet gradus ministerium Ecclesiæ undecumque promotis; dum & ille qui multa legit, eadem breviter recordatus, & compendio ignarus instruitur: ut noverit quid teneat, quid evitet; quid aversetur ne faciat, quid ut faciat assequatur. Fortassis autem, si tamen quod arbitror verum est, etiam adversus calumniantium malignas mentes, & dolosa labia opus hoc parvum inter cetera mirifica * testimonio coronæ tuæ non deerit: ut quibus patet camus calumniandi profusior, validis & ex omni parte conclusis fidei limitibus coartati, omnibusque veritatis telorum generibus circumacti, etiam uno multiformi jaculo repenti prostrati, morticinos spiritus non audeant anhelare.

4. Video quam onerosus existam meliora cogitanti, & disponenti majora sancto seni, & querelas corporis sustinenti. Sed per Christum Dominum rogo, qui te participem sapientiæ suæ sine invidiâ esse concessit, ut hanc gratiam dones indoctis Ecclesiæ, qui te agnoscis sapientibus atque insipientibus debitorem, meriti ac jure dicturus: Videte quoniam non mihi soli laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem. Potui adhuc * offerre supplices & multiplices preces,

Rom. I. 14.
Eccli. 24.
47.
* offerre, in
aliquot.
MSS.

& mecum imperitorum classes adsciscere: sed malui jam gaudere dictantem, quam adhuc occupare legentem.

EPISTOLA

S. AURELIJ AUGUSTINI

HIPPONENSIS EPISCOPI.

Dilectissimo filio & condiacono * QUODVULT-
DEO, AUGUSTINUS episcopus.

* Nonnull.
MSS.
Condiaco-
no Quod-
vultdeus.

Acceptis litteris caritatis tuæ, ubi à me ardentissimo studio postulasti, ut de omnibus hæresibus, quæ post Domini Salvatoris adventum adversus ejus doctrinam pullulaverunt, aliquid breviter scriberem: quam sit hoc difficile, continuo reperta occasione rescripsi per filium meum hipponensium primum Philocalum: mox autem etiam ista oblata est, qua nunc rescribo, & breviter difficultatem operis ejus ostendo.

2. Philastrius quidam * brixienis episcopus, quem cum sancto Ambrosio Mediolani etiam ipse vidi, scripsit hinc librum; nec illas hæreses prætermittens, quæ in populo judæo fuerunt ante adventum Domini, easque viginti octo commemoravit: & post Domini adventum CXXVIII. Scripsit etiam hinc græcè episcopus cyprius Epiphanius, in doctrina catholicæ fidei laudabiliter diffamatus, sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, LXXX. complexus est. Cum ergo ambo id

Epistola
CCXXII.
tom. 2.

* MSS.
Brixienis.